

05

A

709









In Nomine IESV CHRISTI.

Exercitationum Theologicarum  
DISPUTATIO IV.

*Qua*

Tertium Problema, idq;

DE DIVINA MAIE-  
STATE HOMINI CHRISTO VE-  
rè & realiter communicata.

*Amica προδιαλέξις examinandum proponitur.*

In Academia VVitebergensi

*Auctore & Preside*

IOHANNES FÖRSTERO,  
SS. Th. D. & Prof. Publ.

*Respondentis vicem tenente*

M. IOHANNES GEORGIO SCIPIO-  
ne, Hammelburgensi Franco,

*Ad 3. Septemb. horis à 6. matutinis loco consueto.*

Coloss. 2.

Ἐν τῷ Χριστῷ κατοικεῖ (NB) πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς  
θεότητος (NB) σωματικῶς.

W I T E B E R G Æ

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman., Anno 1608.





05 A 709





# Problema.

*An CHRISTO HOMINI Majestas & λόγος infinitus  
verèq; Divina propter τὴν καὶ ἑνωσιν ἐν ἑαυτῷ  
realiter sit communicata.*

## I. εἰσοδὸς Disputationis.

*εἰρμὸν τῆς ἀκολουθίας τὸ ἀναγκαῖον καὶ ἀξίωμα ejusdem  
complectens.*

## THESIS I.

**U**c. 2, 34 de Sospitatore nostro θυμηρεσάτω grans  
dævus vaticinatur Simeon, quòd futurus sit σημεῖον  
ἀντιλεγόμενον.

*1. τὸ εἰρμὸς  
τῆς ἀκολουθίας.*

### II

O vaticinium nimis verum! Sive enim personam sive  
officium CHRISTI spectes: ex utroq; latere assistunt ἀν-  
τίχειροι, qui tela τῶν ἀντιλογιῶν καὶ βλασφημιῶν in ipsum certa-  
tim dirigunt.

### III.

Utq; de officio ejus altum jam agamus silentium: Duo  
χρῆσιμάχων agmina Personam CHRISTI hac tempestate  
hostiliter impetunt, & inde scopum quasi faciunt, quò ore &  
stilo impio unice collimant.

### IV.

Alterum instaurat bellum Cerinthi & Arii, adeoq; ipsam  
eternam CHRISTI Deitatem furiosè infectatur, ducibus  
novis Ariomanitis vel, ut ipsimet se appellari malunt, Photi-  
nians in Polonia:

A 2

Alterum





V.

Alterum agmen redintegrat bellum Nestorij, & in Maje-  
statem HOMINIS CHRISTI impetum facit. Antesi-  
gnani ejus sunt Iesuita, & tria K pessima, Carolstadius, Cin-  
glius, Calvinus, à quibus & illud Carolostadio-Cinglio-  
Calvinianum non immeritò cognominaveris.

VI.

2. τὸ ἀντι-  
στατικόν.

Cum priori τῶν ἀντιστατικῶν agmine manum conseruimus  
in proxima Disputatione: In hac cum agmine illorum po-  
steriore congredi jubet pietas, postulat necessitas, flagitat  
CHRISTI gloria.

VII.

Quid enim magis piuum, quàm pro ejus pugnare gloria,  
qui suâ ignominiâ æternam nobis gloriam comparavit?

VIII.

Quid magis necessarium est, quàm pro veritate illius sta-  
re articuli, in quo tum salutis, tum aliorum compluriû Fidei  
nostræ capitum, fundamenta intima & infima consistunt?

IX.

Quid CHRISTO magis gloriosum, quàm ejus gloriam  
ab hostium contumelijs & blasphemijs zelo vero & sincero  
vindicare?

X.

Igitur quanto Calviniani in oppugnando Majestatem  
CHRISTI acriores: tanto nos in illa propugnanda alacri-  
ores esse convenit.

XI.

3. Ἀγώνισ. V. V. absolvemus capitibus.

XII.

- Quorum I. destinatum terminis.
- II. Statui controversiæ.
- III. Argumentis κατὰ ἑξῆς.

IV. At-





IV. Argumentis ἀνασχεμαστικοῖς.

V. λύσει τῶν σοφισμάτων.

○ DOMINE IESU CHRISTE aperi labia mea, digito SPIRITVS SANCTI, & os meum annuntiabit laudem tuam, AMEN.

II. Διέξοδος Disputationis.

## CAPUT I. De Terminis.

XIII.

Termini in analysi nostri problematis deinceps usurpandi, & ob id, ὡς ἐν προδιδακκαλίᾳ, breviter declarandi, hi sunt potissimum: 1. Tò Naturæ. 2. Persona. 3. Proprietates. 4. Communicatio. 4. φύσις.

XIV.

Naturæ hîc sunt, ut Græci ex Nazianzeno rotundè & verè dixerunt: ἐξ ὧν, ἐν αἷς, καὶ αἰπερ CHRISTUS. 1. Naturæ.

XV.

Suntq; earum *Due*: *Divina* nimirum & *Humana*.

XVI.

Χριστὸς enim, inquit (a) Athanasius, ἐν πρὸς ὧπον, σιωπεθὲν ὡς θεὸς καὶ ἀνθρώπινη.

(a) in Dial. s. de sanct. Trin.

XVII.

Per *Naturam Divinam* intelligimus *DEITATEM FILII DEI* ex Patre ab æterno genitam.

XIIX.

Per *humanam* verò *naturam*, verum & singularem hominem, anima rationali & corpore constantem, ex Maria virgine in tempore natum.

A 3

Quid



## XIX.

2. *Persona.* Quid significant ὑπόστασις, πρῶτον, ἐνυπόστατον, ἀνυπόστατον,  
legatur apud (b) Damascenum.

(b) in *Dial. c. 42, 43, 44, 45.*

## XX.

Hic nobis sermo est de *secunda* ὑπόστασι vel persona  
Trinitatis, quæ est & dicitur Λόγος vel **FILIUS DEI** vi-  
ventis.

*Matth. 16. 10.*

## XXI.

Hæc ὑπόστασις ἔστι Λόγος ab æterno fuit ἀσχηματιστός: In tem-  
pore autem hæc ipsa facta est ἐσχηματιστός, & se totam assumptæ  
carni communicavit.

## XXII.

ὑπόστασις igitur ἔστι Λόγος & ὑπόστασις **CHRISTI** non  
differunt subiecto ἢ τῷ πράγματι; sed tantum τῷ Λόγῳ ἢ  
σχέσει.

## XXIII.

Nec ullum quoque discrimen est reale inter ὑπόστασιν ἔστι  
Λόγος, & Divinam ejus naturam, sicut Sophistæ Calviniani  
contendunt, illamque solam, sine hac, Divinæ naturæ uni-  
tam esse statuunt.

*Sohnius in Exeg. A. C. p. 192.*

*Dan. in ex. lib. Chem. f. 8.*

## XXIV.

Sed in hoc contradicunt, 1. *Scripturæ veritati*, quæ testis  
est omni exceptione major, quòd in **CHRISTO** habitet πᾶν  
πλήρωμα **DEITATIS** σωματικῶς, *Col. 2, 9.*

## XXV.

2. *Orthodoxæ Antiquitati.* Athanasius enim & Cyrillus  
docent, φύσιν ἔστι Λόγος σεσαρκῶσθαι. Et (c) Damascenus recitat  
dictum Dionysij, ὅτι ἡ Θεότης ὀλικῶς ἢ μία ἐν μιᾷ τῶν ἐαυτῆς κε-  
κοινώθηκεν ὑποστάσεων.

(c) *l. 3. de orth. Fid. cap. 6.*

Porro



XXVI.

Porrò ut ad proprietates CHRISTI descendamus, sciendū quod sicut gemina in CHRISTO natura: Divina videlicet, & humana: Ita quoque duplices in Ipso proprietates, Divina & humana.

3. Proprietates.

XXVII.

De humanis hic non est dicendi locus: Proprietates vero Divinae vel ἡ Λόγος vicissim sunt duplices: Aliæ sunt interna & hypostaticæ, ut quod natus ex substantia Patris, & est ἀπαύγασμα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.

Psal. 2, 7. Hebr. 1, 7.

XXVIII.

Aliæ sunt externa vel essentialia, & τῷ Λόγῳ cum PATRE & SPIRITV SANCTO communes.

XXIX.

Et hæc iterum vel sunt ἀσυγκοινωνήτοι, vel συγκοινωνήτοι.

XXX.

Ἀσυγκοινωνήτοι sunt, quarum quanquam in assumpta natura καπηκῶσι (ut patet ex illo Col. 2, 9.) in ea tamen & per eam non exerunt efficaciam; & licet quædam earum communicabiles dici possint ἐμμέσως; ἀμέσως tamen communicari nequeunt, ut: τὸ αἰδίον, τὸ ἀπειρον ἢ ἀπερίγραπτον, τὸ ἀκλήστον, τὸ ἀσώματον, τὸ αἴθρον, τὸ ἀμερές &c.

Legatur Lutherus Tom. 8. Ien. in Cycnea concione de ultimis verbis Davidis.

XXXI.

Συγκοινωνήτοι sunt, quæ in, cum & per assumptam naturam sunt ἐνεργητικῶς, eamque juxta se denominant.

XXXII.

Genus earum est Majestas Divina, cujus species: Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia, Virtus vivificandi, Potestas remittendi peccata, Potestas judicij, &c. Et de his in hac nostra Disputatione.

Sequitur.





4. Commu-  
nicatio.

### XXXIII.

Sequitur de *Communicatione*, quæ vox *bisariam*, in Ec-  
clesiasticis præsertim scriptoribus, accipi solet.

### XXXIV.

Ac I. quidem *συνώνυμος καὶ ἑξηγητικὸς*, de *unione vel com-  
munionem duarum in CHRISTO naturarum*, aut de *ἁποχρηστικῆ*  
earundem mutua & *ἰσοσωλικῆ*.

*Irenæus lib. 4. cap. 37.*

*Hilar. de Trin. l. 9.*

*Atban. ad Epiet.*

*Basilius in Sanct. nativ.*

*Nissenus apud Theod.*

*Damasc. orth. Fid. lib. 3. c. 19.*

### XXXV.

E qua *communicatione prædicationes educuntur singulari-  
ter personales*, quibus, propter *communicationem illam inti-  
mam naturarum*, DEUS verè dicitur Homo; Homo verè  
dicitur DEUS.

### XXXVI.

II. Eadem vox usurpatur de *communionem proprietatum  
naturalium*, quæ ex *communionem naturarum* ut effectus è  
causa efflorescit, & ut proprium coniequens, ex proprio an-  
tecedente, necessariò dependet.

### XXXVII.

Sed qualis hæc sit *communicatio*, jam ulterius per ἀφαί-  
ρεσιν aliarum κοινωνιῶν ἀλλοτριῶν, καὶ θεῶν τῆς οικείας, distinctè  
ostendemus.

### XXXVIII.

Et quidem secundum *unionem naturarum*, & sanè ex illis  
potissimum ejusdem *προσκειμενοῖς*, quæ ipsi partim in (d)  
Chalcedonensi concilio, partim à (e) Damasceno tribuun-  
tur, ne vel Eutychiana proprietatum confusio, vel Nesto-  
riana earundem divulgatio introducatur.

(d) *Evagr. lib. 2. cap. 4.*

(e) *lib. 3. orth. fid. cap. 3.*

Nam



## XXXIX.

Nam sicut utilissimè nonet πολυθρύλλητον illud: Communicatio semper consideranda est ratione unionis. Sunt enim ex ordine τῶν πρὸς ἡ, quorum, quatenus talia, eadem ratio & relatio. Unde Nazianzenus: *Qualis est unio, talis communicatio.* Theodoret. dial. 1.

## XL.

Communicatio igitur hîc non intelligitur verbalis. Unio enim verbalis non est: sed realis. Et quid quæso veritatis habent verba, nisi in ipsis rebus radicata sint?

## XLI.

Nec ea, quæ fit per σύγχυσιν ἢ μίξιν. Naturæ enim unitæ sunt invicem ἀσυγχύτως

## XLII.

Nec illa, quæ fit per ἀλλοίωσιν. Unitæ enim sunt naturæ ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως.

## XLIII.

Multò minùs, quæ nuda χεῖρε constat, subjectis invicem realiter sejunctis, vel ἀσυνδυάσις. Unio enim facta est ἀδιαρέτως καὶ ἀχωρίτως.

## XLIV.

Nec etiam illa, quæ fit per μετέκτασιν ἢ μέθεξιν Physicam. Τίνα τρόπον ἐν σαρκὶ ἢ θεότης; ( quærit Basilus & respondet ) ὡς τὸ πῦρ ἐν σιδήρῳ (NB) ἢ μεταβαλτικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς.

## XLV.

Nec denique hîc locum invenit, κοινωνία κατὰ μέθεξιν Logicam, de qua Philosophus: τὸ μετέχειν ἐστὶν τὸν τῷ μετεχομένῳ λόγον ἰσπεδέχεσθαι. lib. 5. Top. cap. 4.

## XLVI.

Ejusmodi enim communicatione alterutram naturam penitus aboleri, necessum foret: adde quod illa duo requirit subjecta seu supposita singularia diversa.

B

Atqui



XLVII.

Atqui naturæ unitæ sunt ἀδιαστάτως καὶ ἀδιασπράτως  
in unum ὑφιστάμενον individuum, quod tamen non ἐξ ἐτέρων ἐπι-  
γόνη : ut Eutyches olim statuit, teste Evagrio lib. 2, cap. 4.  
ἰed τὸ συναμφοτέρον.

Damascenus lib. 3. ὁρθ. πίς. cap. 4.

XLVIII.

His κοινωνίας itaque ἀλλοτριίας καὶ ἀπροσδιονύσις per ἀ-  
φαίρεσιν remotis: Superest ἴεσις κοινωνίας οὐκείας, id est, ejus,  
quæ unicè huc pertinet; estque illa, quæ intercedit inter sub-  
jecta συνδέσασμένα, quæ intimâ quâdam περιχωρήσει se invi-  
vicem intimè immeant & penetrant.

XLIX.

Græcis dicitur κοινωνία κατὰ συνδύασιν ἢ κατὰ ἕνωσιν, & ta-  
lis est communicatio idiomatum in personâ CHRISTI, quæ,  
ejusdem quoque respectu, rectissimè dicitur personalis.

L.

Definitio  
communi-  
cationis Idi-  
omatium.

Quæ dicitur vera & realis Divinarum humanarumq;  
proprietatum participatio, orta ex hypostatica duarum in CHRI-  
STO ὁμοῦ ἁπλοῦς naturarū unione, qua non solum utriusq; natu-  
re proprietates personæ: verum etiam alterutrius nature propria,  
alteri attribuuntur; & propter hanc κοινωνίαν unaquæq; natura  
operatur, quod suum est, cum communicatione alterius, absque  
omni tamen naturarum & naturalium proprietatum abolitio-  
ne & confusione.

LI.

Tres ejusdē  
gradus.

Partialis hæc est definitio, è tribus quippe communicatio-  
nis idiomatum gradibus contexta, qui ἐν τῷ ἐκτελέσει hoc ordine  
recensentur: A Cyrillo autem istis nominibus notatu dignis  
insigniuntur: 1. ἰδιωματικά. 2. κοινοποιικά. 3. μεταποιικά.

LII.

I. ἰδιωματικά est, qua FILIUS DEI propria humana na-  
tura, intra suæ quippe ἁπλοῦς unitatem intimè assumta, si-  
bi realiter



bi realiter appropriavit; unde & illa ipsi in concreto verè & reale  
liter ascribuntur.

Ὅκειν τῶν τῶν αὐτῶν πῶς ὁ λόγος

Damasc. lib. 3. ὁρθ. πῆς. cap. 3.

LIII.

Locum habent hic vel implicite vel explicitè particulae,  
In, secundum & similes, quæ non sunt χωριστικῶν: sed διοριστικῶν  
καὶ τὰ καὶ αὐτὸ αὐτῶν ἐνδεικτικῶν.

LIV.

2. Κοινωνία est, qua utraq; natura suas invicem commu-  
nicant ἐνεργείας, in ἀποτελέσμασι miraculorum & officij Redem-  
tionis producendis, quæ etiam ob id ipsum toti CHRISTO, ses-  
cundum utramque naturam, assignantur.

LV.

Unde illud vulgatum: Nomina officij competunt  
CHRISTO juxta utramque naturam: Et sententia me-  
morabilis Concilij Chalcedonensis: Utraq; natura in CHRI-  
STO operatur cum communicatione alterius, quod cujusq; est  
proprium.

LVI.

3. Μεταποίησις est, qua (FILIVS DEI) λόγος carni suæ  
in personæ unitatem assumptæ Majestatem suam Divinam reipsa  
communicat; unde & hæc illi verè & realissimè ascribitur.

LVII.

Atque huc pertinet præclarum illud (f) Damasceni:  
τῶν οἰκείων αὐχημάτων, ἢ θεότης τῶ σώματι μεταδίδωσιν, αὐτῇ δὲ  
τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχος. (f) lib. 3. ὁρθ. πῆς. 15.

LVIII.

Nec non Synonyma, quibus tertius hic communicati-  
onis gradus indigitatur, ut sunt: 1. In Scriptura ὑπερφωσις.  
2. Apud Orthodoxam Antiquitatem Athan: βελτίωσις. Basil. &  
Damasc. μετέδοσις. Cyril προσθήκη μεγάλη. Communiter Com-  
municatio Majestatis. B 2 Et de



## LIX.

Et de hac præsens est instituta Disputatio, cujus status controversiæ, *περοδιδασκαλίαν* terminorum hæctenus præmissam, jam Capite secundo subsequitur.

## Caput II. De statu controversiæ.

## LX.

*Χαρίσματα* habet Homo-CHRISTUS *duplicia*: Quædam sunt *creata & finita*, quæ licet longè quidem excellentissima & summa: non sunt tamen Divina. Quædam verò *increata ac infinita*, adeoque propriè ac verè Divina.

## LXI.

Illæ tanquam adjuncta in hærent in ipsa CHRISTI humanitate, eique *καθ' αὐτὴν ἐκλεκτῶς*, velut subjecto insunt: Hæc verò *κατὰ τὴν ὑποστατικὴν ἔνωσιν* eidem communicata sunt.

## LXII.

De illis, quia sunt *ἀμφοισθήτητα*, nihil attinet dicere: De his verò *ἀμφοισθήτησις* ingens, quæ hac vice nobis ventilanda.

## LXIII.

**Status controversiæ.** Ejus verò summa inclusa est problemati in frontispicio Theleøn posito, An videlicet CHRISTO HOMINI *Majestas τῆς λόγου infinita verèq; Divina*, propter τὴν καθ' ὑπόστασιν ἔνωσιν *cum λόγῳ, realiter sit communicata.*

## LXIV.

Hic jam inter nos & Iesuitas pariter, ac Calvinianos aperta oritur διχασία. Nos affirmativam amplectimur & tuemus



tuenur sententiam: Illi pro *Negativa* stant, & dimicant acerrimè.

LXV.

Sententiæ nostræ affirmativæ veritas ut perspiciatur clariùs, eandem *Βεβαχύτατα, καὶ ὡς ἐν τύπῳ*, uno atque altero ductu delineari expedit.

LXVI.

Et sanè tantùm hæc *IV.* 1. *Subiectum communicationis.* 2. *Modum ejusdem.* 3. *Tempus.* 4. *αὐτὸ τὸ πρᾶγμα κοινωνητόν.*

LXVII.

I. *Subiectum communicationis* non est *Natura Divina*, sed ejus persona.

Sententia vera exponitur in quatuor membris vel circumstantijs

LXVIII.

Quod *non natura Divina*, hæc probatum reddimus ratione palmaria, planèque invicta.

LXIX.

Quia nimirum est *παναμετάβλητος καὶ ἀῤῥεπλεσάτη*, & ob id, ipsi nihil quicquam potest addi.

*Mal. 3. EGO DOMINUS ET NON MPTOR.*  
*Iacob. 1. παρὰ τῷ Θεῷ ὡς ἐν παραλλαγῇ ἢ τροπῆς ἀπειθίασμα.*

*Ecclesiastici 42. Magnalia sapientiæ suæ decoravit, qui est ante seculum, & usq; in seculum, neq; ADIECIVM est, neque MINVENTVR, & non eget alicujus consilio.*

LXX.

Quòd verò *ad Personam CHRISTI* referenda communicatio, vel è Symbolo patet Apostolico: ubi opera status gloriæ, perinde ut opera status exinanitionis, personæ *CHRISTI* attribuuntur.

LXXI.

Sciendum verò quòd *CHRISTO* Divina majestas commu-



communicata sit, non secundum utramque naturam: sed  
juxta naturam solum humanam.

LXXII.

Cujus rei testes sistimus. 1. Scripturam. 2. Orthodo-  
xam Antiquitatem.

LXXIII.

I. In Scriptura, sententiam nostram confirmant: 1. πα-  
ρὰ τὴν ἀκριβή, ὅτι vel QUIA.

Ioh. 5. Et potestatem dedit ei judicandi quoq̄, QVIA  
FILIVS HOMINIS est.

LXXIV.

2. φερίως, ubi subjecti loco ponuntur συνώνυμα naturæ  
humanæ.

Iohan. 6, 51, 53, 54. Matth. 26, 28. Luc. 22, 19. 20.  
Act. 20, 28. 1. Ioh. 1, 7. Apoc. 1, 13. & sequentibus.

LXXV.

3. Προσδιορισμοὶ, quibus χαρίσματα communicatæ ma-  
jestatis ad humanam naturam restringuntur,

Eph. 1, 20. Act. 2, 32, 33, 36. Heb. 1, 3, 4. Phil. 2, v. 9.

LXXVI.

4. Emphasis verborum dandi, tradendi, donandi, χα-  
ρίσασθαι, Dominum faciendi, & id genus aliorum.

Matth. 11, 27. cap. 28, 19. Psalm. 8, 7. Phil. 2, v.  
Act. 2, 36.

LXXVII.

II. Ex Orthodoxa Antiquitate, huc referimus auream  
Athanasij regulam, ab omnibus Orthodoxis contra Aria-  
nos, Eunomianos & alios χριστομάχους ὁμοθυμαδὸν receptam  
& approbatam.

Ὅσα λέγει ἡ γραφή, ὅτι ἔλαβεν ὁ υἱὸς, καὶ ἐδοξάσθη, διὰ τὴν  
ἀνθρώπινην αὐτῆς λέξιν, & τὴν θεότητα. Theod. dial. 1.  
Luth. Tom. 2, p. 147, itemq̄ in 58. cap. Es. & 28. Gen.

II. Modus



## LXXVIII.

II. *Modus communicationis*, perinde ut & unionis, verè est *μονότης* & *κατ' ἐξ αἰρε*, itemque *ἀρρήτ* & *κατ' αἰένωσ*.

## LXXIX.

Ut tamen aliquid hoc de mysterio dicatur, tenendum, proprietates Divinas, neque per *ἐκπλήωσιν*; neque per *ἐκροήν* in Carnem ejus assumptam, tanquam in subjectum aliud, derivari vel transfundi.

## LXXX.

Sed *λόγ* easdem intra complexum personæ suæ, absq; omni omnino immutatione, & immutatione retinet.

## LXXXI.

Et tamen has easdem numero naturæ suæ humanæ in unitatem personæ assumptæ, *κατοικήσει καὶ περιχωρήσῃ* intima, verè & realiter communicat.

## LXXXII.

Atque ita humana CHRISTI natura majestatem Divinam habet à *λόγῳ* & in *λόγῳ*.

## LXXXIII.

Et hac ratione neque naturarum, neque naturalium proprietatum confusio, vel exæquatio, vel abolitio Euty-  
chiana introducitur.

## LXXXIV.

Naturæ enim & earum proprietates semper manent distinctissimæ, sicut perspicuè ostendunt gradus distinctio-  
num, quæ à Theologis usurpari solent, & hic adduci possent; itemque similia à ferro ignito, & ab anima ejusque faculta-  
tibus, quibus Patres Orthodoxi mysterium istud declarare conati sunt.

## LXXXV.

III. *Tempus Communicationis* duos respicit articulos: *Alter est momentum unionis personalis: Alter tempus exalta-  
tionis ad dexteram D E I Patris.*

Utriq;



LXXXVI.

Utrique pariter communicatio majestatis ascribitur, tanquam utriusque effectus & consequens commune:

LXXXVII.

Sed tamen hac distinctione vel *χρίσι*. Illi ascribitur respectu *initij* τῆς δυνάμεως καὶ οἰκηώσεως καὶ τῆς κλήσεως, & *actus primi*.

LXXXVIII.

Huic respectu complementi *ἐνεργείας ἐξουσίας, χηρίσεως &actus secundi seu usus plenarij*.

LXXXIX.

IV. Τὸ πρᾶγμα κοιωνητὸν est ipsa majestas Divina τῆς λόγος, quo nomine comprehenduntur *ὑπεροχαί*, & privilegia carni CHRISTI realissimè communicata XII, quæ secundum τὸ ἐνωτικὸν & ὑποτόπωσιν articulorum visitationis Pro-Electoralis in *triplici* sunt differentia,

XC.

1. Quædam enim sunt mera Deitatis τῆς λόγος ἰδιώματα.
2. Quædam Divina ejusdem ἐνεργήματα.
3. Est ἀξίωμα τῆς θεολατρίας.

XCI.

Ἰδιώματα τῆς λόγος, Carni CHRISTI communicata sunt hæc tria. 1. παντοκρατορία Omnipotentia. 2. παντεπιστία Omniscientia. 3. παντοπρᾶσία Omnipræsentia.

XCII.

Ἐνεργήματα Divina Homini CHRISTO communicata sunt hæc Ocho: 1. Verbi ejusdem efficacia. 2. Miraculorum effectio. 3. Opus Redemptionis. 4. Iustificatio & Sanctificatio. 5. Collectio, Gubernatio & Protectio Ecclesie. 6. Missio SPIRITUS SANCTI. 7. ἐξουσία τῆς κρίσεως. 8. ζωοποίησις.

XCIII.

Ἀξίωμα τῆς θεολατρίας idem est, quod cultus adorationis CHRISTO secundum humanitatem quoque debitus. Et



X CIV.

Et hæc quidem est brevis doctrinæ nostræ veræ ac sinceræ, de proposito problemate, *ἡ ἀντιπαράστασις*: jam, quia *τὰ ἐναντία παρ' ἄλληλα ἐναντιώτερον*: Contrariam utique Antagoni- Falsa Anta-  
starum opinionem una atque altera lineola designare pla- gonistarum  
cet. opinio.

X CV.

Hic verò Pilatum & Herodem, *Iesuitas*, puta, & *Calvinianos* in majestate Hominis CHRISTI damnanda & proscribenda invicem conspirantes, vel vulpes illas Simonis caudis connexas, cum tamen captia eorum disjunctissima, videre licet.

X CVI.

Unus enim utriusque amor, unum studium, & eadem arma in oppugnanda majestate Hominis CHRISTI, sicut ex proprijs eorum enunciatis, quæ jam oculis omnium subjiciemus, abundè cognosci potest.

X CVII.

Ac ne longiùs abeamus: extant adhuc in publico *Theses Iesuitarum Ingolstadiensium*, quas *Vvittebergenses Calviniani* Anno 1571, qua tempestate cathedram Lutheri invaserant, non modò approbârunt: sed suis typis suas fecerunt, & bello epimythio juventuti commendarunt.

X CVIII.

Planè ut eorum contribulis *Beza* iisdem thesibus subscripsit, seque eas LIBENTER ET CUM FRUCTU perlegisse pro palam testatur.

*part. 1. Theol. Tract. p. 644.*

X CIX.

In thesibus istis Iesuito-Calvinianis thes. 37 horribilem hanc in majestatem carnis CHRISTI blasphemiam, uno quasi vomitu effundunt:

C

Addi-



Addimus etiam, inquit, *CHRISTVM* secundum humanitatem, non sola essentia, sed etiam gloria, maiestate, potestate, ceterisque attributis omnibus & proprietatibus *DEO* minorem mansisse. Ita enim humana natura donis gratuitis in *CHRISTO* exornata est, ut creaturæ tamen limites nullatenus excefferit.

C.

Eandem *περιτολογίαν* repetijt Iesuita Busæus in disputatione de persona *CHRISTI* Anno 1583 in lucem emissa thes. 29, ubi hæc leguntur propositiones, vel potentia potius immanissima.

Principiò ostendimus, Divinam naturam humanitati *CHRISTI* realiter communicari non potuisse, &c. nec maiestatem omnem *FILII DEI*, quæ Divinarum proprietatum complexu continetur beneficio unionis hypostaticæ, eidem humanitati realiter communicatam esse.

C. I.

Ejusdem furfuris est fermentum Calvinistarum, sicut pluribus ostendi posset. Sed sufficiat unum atque alterum eorum testimonium.

Beza Coll. Mompel. fol. 206. Hæc omnis potestas, ut ex omnibus testimonijs, quæ hic citatis, constat: Diversa prorsus est ab ea, quæ est in *DEO* essentialis, & absolutè consideratur. Nihil enim aliud est, quàm summa, secundum *DEVM*, potestas, in rebus omnibus creatis administrandis, ad quas etiam ipsa refertur; ac proinde inter dona, in carnem *CHRISTI* collata, id est, ad gratiam habitualem referenda est.

Lambertus Daneus contra Doct. Chemn. f. 398. scribit; In dicto *CHRISTI* Matth. 28. Omnis potestas mihi data est, &c. intelligitur, potentiam finitam & per se creatam: non autem æternam omnipotentiam *CHRISTO* datam esse.

Similes



*Similes flosculi τῆς χειροβλαστοφηβίας Calvinistica legi possunt: In Confess. Heidel. fol. 67. In disp. Maulb. Anno 64. habita, fol. 45. In adm. de libro Concord. pag. 45. Apud Sadael: de veritate hum. nat. p. 148.*

CII.

Atque hætenus status controversiæ, cum brevi, sed perspicua tamen, *συνοψία* sententiæ utriusque partis: Consequens est, ut capite nunc tertio doctrina nostra vera & Orthodoxa validè ac solidè confirmetur.

CAPUT III.

De argumentis *κατασκευαστικῶς* Doctrinæ  
veræ & Orthodoxæ.

CIII.

Apertè & intrepidè docemus & profitemur: *Homini CHRISTO* majestatem τῆς λόγῳ infinitam verèq; Divinam, realissimè esse communicatam.

CIV.

Confessionis hujus veritatem ac certitudinem pro-Fundamentatam ac testatam reddimus. 1. Fundamentis & argumenta veritatis. *τῶν* invictis è Scripturâ. 2. *τῶν* συγκαταψηφισμοῖς Orthodoxæ Antiquitatis.

CV.

I. *Fundamenta duplicia sunt: Generalia & Specialia.*

CVI.

*Generalibus* evincitur genus *χαρισμάτων* communicato-I. Generalium, cujusmodi est Majestas Divina.

CVII.

*Specialibus* astruuntur *species χαρισμάτων*, quæ complexu majestatis Divinæ continentur.



CVIII.

Fundamenta generalia majestatem Divinam CHRISTO Homini communicatam ostendunt, vel *ῥητῶς* vel *συλλογιστικῶς*.

CIX.

1. *ῥητῶς* istud ostendunt illustrissima Scripturæ testimonia, ut sunt:

Col. 2, 9. In CHRISTO (hoc est in CARNE CHRISTI interprete Damasc. lib. 3. cap. 5.) HABITAT (κατοικεῖ) OMNIS PLENITUDO DEITATIS (scilicet generate) CORPORALITER.

Matth. 11, 2. OMNIA mihi tradita sunt à Patre meo.

Phil. 2, 5. DEVS exaltavit illum, & donavit (ἐχαρίσατο) illi nomen, quod est SUPER OMNE nomen.

CX.

2. Συλλογιστικῶς idem confirmant rationes, quæ bona consequentia ex Scriptura educuntur.

CXI.

Quarum 1. ἀπὸ τῆς ὑποστατικῆς ἐνώσεως: Si Λόγος se ipsum totum, suamque naturam & personam assumptæ carni communicavit: utique etiam suam communicavit majestatem, adeoque omnia Divina idiomata, quæ illius complexu continentur:

Sed verum prius. Ergo & posterius.

CXII.

Ratio τῆς ἀκολουθίας declaratur regula Lutheri maximè ἀξιολόγῳ: Ipsa communio unit duas naturas in unam personam.

(f) In capit 53. Esa. Tom. 3. len. lat.

CXIII.

Assumptum probatur illo Iohannis axiomatico: cap 1. VERBUM caro factum est: nec non illo Paulino Col 2, 9. jam allegato.

II. Ratio



CXIV.

II. Ratio *ἡ ἀπὸ τῆς ἡττοῦ*. Si nos erimus *κοινωνοὶ τῆς ἰσότητος* in alterâ vitâ, imò in hâc etiam vitâ: multò magis utique Carni CHRISTI communicata est Divina majestas, simulque omnia idiomata Divina, quæ complexu illius continentur.

Atqui verum & prius. Ergo & posterius.

CXV.

Ratio *τῆς συνέχειας* in copulato hinc lucidissimè effulget, quod DEUS nobis adest tantum *παρὰ σῶμα*: λόγος autem carnem assumptam sibi univit *ὑπὸ σῶμα*.

CXVI.

Assumptum est Petri 2. epist. cap. 1, 4. Itemque Iohannis 1. epist. 1, 6. nec non Pauli 1. Cor. 1, 9.

CXVII.

III. A sessione ad dextram: Qui sedet ad dexteram æterni Patris, is particeps est majestatis Divinæ, simulque omnium idiomatum, quæ ejus complexu continentur. Sed CHRISTUS Homo sedet ad dextram æterni Patris. Ergo:

CXVIII.

Major confirmatur Scripturæ dictis, quibus Dextera DEI describitur, quòd non sit *ἡ ἀπὸ ἡωρῆ*; sed *πρὸς τὸ ἰσὺν ἕξουσις*, interprete Basilio: Et Damascenus ait: non localem Patris dextram dicimus: sed gloriam & honorem Deitatis. Quomodo enim, qui incircumscriptibilis est, localem adipisceretur dextram? citante Thoma parte tertia quæst. 58. art. 1.

CIX.

Dicta autem Scripturæ, quæ huc faciunt, sunt hæc potissimum:

*Psal. 77. Nunc cepit hæc mutatio dextera excelsi. Lutherus vertit: Die Rechte des H & x n fan alles endern.*

C 3

*Psalms.*



*Psal. 118. DEXTERA DOMINI fecit VIRTUTEM,  
Dextra Domini exaltavit me, DEXTRA DOMINI  
fecit VIRTUTEM.*

*Psal. 139. Si sumsero pennas meas diluculo, & habitavero  
in extremis maris: Etenim illa manus tua deducet me, &  
tenebit me DEXTERA tua.*

*Luc. 22. Dicitur DEXTERA VIRTUTIS DEI.*

*Heb. 8. Habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram  
throni majestatis in cœlis.*

CXX.

Assumptionis veritas constat è sequentibus *ἡς ἡαφῆς Ἰεο-  
μεύς* pronunciatis.

*Psal. 110. Dixit DOMINVS DOMINO MEO,  
Sede à dextris meis.*

*Dan. 7. Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus  
cœli, quasi FILIVS HOMINIS veniebat, & usq; ad  
antiquum dierum pervenit, in conspectum ejus obtulerunt e-  
um. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, &  
omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient. Potestas ejus  
potestas aterna.*

( *שְׁלֵטְנָה שְׁלֵטָן עֲלָיָהּ* )

*que non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.*

*Matth. 22. Ex hoc tempore erit FILIVS HOMINIS  
sedens à dextris VIRTUTIS DEI.*

*Apoc. 5. Agnus, qui occisus, stat in medio throni.*

CXXI.

Argumenta  
specialia.

Hactenus generalia argumenta: sequuntur *Specialia*,  
pro speciebus majestatis Divinæ, quas superius in tres classes  
distinximus, è quibus singulas ordine hîc repetemus, & di-  
ctis Scripturæ breviter probabimus.

CXXII.

In *Prima Classe* comprehenduntur 1. Omnipotentia  
Divina, pro qua hæc militant *ἀνομοκρατία*: *Matth.*



*Matth. 28. Mihi (inquit ipsemet CHRISTVS) data  
est OMNIS POTESTAS.*

*Ephes. 1. DEVS exercuit efficaciam ROBORIS FOR-  
TITVDINIS ejus in CHRISTO, cum suscitaret eum  
ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in caelestibus,  
supra omnem principatum ac POTESTATEM & VIR-  
TUTEM, & dominium, & omne nomen, quod nominatur  
non solum in seculo hoc, verum etiam in futuro. Et OMNIA  
subjecit sub pedibus illius, & eum dedit caput super omnia,  
ipsi Ecclesiae, quae est corpus illius, complementum ejus, qui  
omnia in omnibus adimplet.*

*Phil. 3. CHRISTVS sibi OMNIA subjicere potest.*

*Apoc. 5. Agnus, qui occisus est, dignus est accipere VIRTV-  
TEM & DIUITIAS & sapientiam & fortitudinem &  
honorem & gloriam & benedictionem.*

*Item: Psalm. 8, 7. 1. Cor. 15, 27. Heb. 2, 8.*

### CXXIII.

2. Omniscientia, de qua *Ioh. 16. Scimus (ajunt discipuli ad  
CHRISTUM) quod SCIS OMNIA.*

*Iohan. 21. DOMINE tu SCIS OMNIA.*

*Col. 2. In CHRISTO sunt OMNES thesauri SAPIEN-  
TIAE ac SCIENTIAE reconditi.*

### CXXIV.

3. Omnipraesentia, de qua *Matth. 18. Ubi duo vel tres  
congregati in nomine meo, ibi sum IN MEDIO eorum.*

*Matth. 28. Ego vobiscum sum OMNIBVS DIEBVS  
usq; ad consummationem seculi.*

*Eph. 1. CHRISTVS OMNIA in omnibus implet.*

*Ephes. 4. Qui descendit idem ille est, qui etiam ascendit  
supra omnes caelos, ut impleret OMNIA.*

### CXXV.

In Secunda Classe continentur: 1. Verbi CHRISTI ef-  
ficacia de qua: *Psalm.*



Psalm. 45. Diffusa est GRATIA IN LABIIS.

Iob. 6. dicit ipsemet Salvator: Verba, que loquor, SPIRITUS & VITA. Et Apostoli ibidem: Tu VERBA VITAE AETERNAE habes.

Iohan. 7. Nunquam sic locutus est homo, SICUT HIC HOMO.

CXXVI.

2. Miraculorum effectio, de qua:

Marc. 6. ajunt Nazaretani: Et quae est sapientia, quae data est illi? ut VIRTUTES TALES PER MANUS EIVS EFFICIENTUR?

Act. 10. IESUM Nazarenum unxit DEVS Spiritu Sancto & virtute, qui obambulavit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam DEVS erat cum illo.

CXXVII.

3. Opus Redemptionis, de quo:

Es. 53. Posuit ANIMAM SUAM  $\rho\upsilon\eta$ .

Act. 20. DEVS acquisivit sibi Ecclesiam SANGVINE SVO.

1. Pet. 1. Non caducis rebus velut auro & argento REDEMPTI estis à vanâ vestrà conversatione, quam ex patrû acciperatis traditione; sed precioso SANGVINE, velut AGNI IMMACVLATI & INCONTAMINATI, CHRISTI.

Hebr. 9. Habemus ingressum in sancta Sanctorum, in SANGVINE ILLIVS.

CXXVIII.

4. Iustificatio & Sanctificatio, de qua:

Rom. 3. Iustificamur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quae est in CHRISTO IESU, quem proposuit DEVS id est  $\rho\upsilon\eta$  per fidem interveniente SANGVINE EIVS.

Rom. 5. Multo igitur magis IUSTIFICATI nunc SANGVINE EIVS, servabimur per eum ab ira. Heb.



Hebr. 13. **IESVS** ut **SANCTIFICARET** per proprium sanguinem, passus est extra portas.

**CXXIX.**

5. Collectio, gubernatio & protectio Ecclesiae, de quibus:

Ioh. 10. Nemo rapiet oves meas è manibus meis.

Matth. 28. Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi, **NON RELINQVAM** vos orphanos.

Marc. 16. Illi verò egressi predicaverunt, **VB IQVE DOMINO COOPERANTE, ET SERMONEM CONFIRMANTE** per signa subsequentiã.

**CXXX.**

6. Missio **SPIRITUS SANCTI**, de qua:

Psal. 68. Ascendisti in altum, & dona accepisti pro hominibus.

Ioh. 1. **AGNVS DEI** baptizat **SPIRITV** & igne.

Act. 2. Dextra igitur **DEI** exaltatus & promissione **SPIRITVS SANCTI** accepta à Patre, **EFFVDIT HOC**, quod nunc vos videtis & auditis.

**CXXXI.**

7. **Èξουσία τῆς κρίσεως**, de qua:

Matth. 16. **FILIUS HOMINIS VENIET** in gloria **PATRIS** sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique iuxta facta ipsius.

Iohan. 5. **PATER** potestatem dedit **CHRISTO** iudicandi, **QUIA FILIUS HOMINIS EST.**

Act. 17. **DEVS** statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum, **PER VIRVM**, per quem decrevit.

**CXXXII.**

8. **Ζωμίνσις**, de qua:

Iohan. 6. Ego sum panis **VIVUS**, qui de caelo descendi, Si quis ederit ex hoc pane **VIVET** in aeternum.

Item v. 53. 54. 58.

D

Tertio



CXXXIII.

Tertia Classis sibi vindicat ἀξίωμα τῆς θεολατρίας, id est, cultum adorationis, de quo:

1. Scripturæ dicta.

Dan. 7. Omnes populi, tribus & lingua FILIO HOMINIS servient.

Phil. 2. Dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESU, OMNE GENU SE FLECTAT.

Heb. 1. Cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: ADORENT EUM OMNES ANGELI DEI.

2. Exempla.

Qua habentur Matth. 2, 11. c. 8, 2. c. 9, 18. c. 15, 23. c. 20, 30. c. 28, 9. Marc. 10, 17. Luc. 17, 16, c. 18, 38. Ioh. 9, 38. c. 20, 28. Act. 7, 59. c. 9, 6. Apoc. 4, 9. c. 5, 12. c. 19, 4.

CXXXIV.

Atque hæ sunt species χαρισμάτων Homini CHRISTO communicatorum, quorum in Scriptura expressa fit mentio. De cæteris nihil definitè asserimus, cum nihil de illis definitè assertum in Scripturâ.

CXXXV.

Ut n. in reliquis Religionis nostræ articulis Scriptura divinitus inspirata unica nobis est norma, & lucerna pedibus nostris: Ita quoq; in hoc mysterio ἀπόρητων καὶ ἀνευφρατέων.

CXXXVI.

Et hætenus quidem fundamenta Scripturæ, pro astraenda communicatione majestatis Divinæ: addi jam deberet antiquitas, cujus testimonia quia ingenti cumulo ab alijs comportata sunt; maximè autè à D. Hunniop. m. in libello de Persona CHRISTI: Eò, brevitatæ studio, juventutem Theologicam remittimus.

CXXXVII.

Iam transeundum nobis ab hac doctrinæ nostræ veræ ac fin-

συγκρατα ψ.  
Antiquita-  
ris.

συγκρατα ψηφισμὸς



ae sinceræ κατὰσκευῆ ad ἀνάσκευῆν opinionis impiæ & erroneæ  
Hostium Majestatis CHRISTI.

### CAPUT III.

Idque de argumentis ἀνάσκευαστικῆς contra  
Hostes Majestatis CHRISTI.

CXXXVIII.

*Jesuitæ* pariter & *Calviniani* ore stiloque impudentissi-  
mè tradunt : Majestatem Divinam eamq; increatam & infi-  
nitam Homini CHRISTO verè ac realiter, vel, ut *Aposto-  
lus* loquitur, σωματικῶς minimè esse communicatam.

CXXXIX.

Quæ opinio quàm sit absurda & hæretica argumentis  
nonnullis ad oculum ostendemus, iisque in duas classes distin-  
ctis.

CXL.

In *Priorem* collocabimus argumenta *generalia*, qui-  
bus in genere refutabimus *negativam* adversariorum sen-  
tentiam de *Communicatione Majestatis Divinae*.

CXLI.

In *Posteriori* subjiciemus argumenta *specialia*, quibus  
in specie evertemus *negationem omnipresentia Carnis CHRI-  
STI*; cum hæc maximè ludes sit adversarijs in oculis, unde  
& nos, calumniandi animo, Ubiquitarios cognominare so-  
lent.

CXLII.

Ex argumentis *generalibus* primas sibi meritò vindicat  
istud verè merèque apodicticum, & planè ἀδιάλυτον:

*Si Homini CHRISTO non est communicata verè ac reali-  
ter majestas verè Divina; cum sequitur, quòd nec Divina  
natura eidem personaliter sit unita.*

*Sed hoc planè est hæreticum, totumq; Incarnationis mysteri-  
um evacuat. Ergo.*

Argumenta  
generalia  
III. contra  
hostes Ma-  
jestatis  
CHRISTI.

D 2

Ratio



Ratio consequentiæ in copulato illustratur regulâ Lu-  
theri superius allegata: *Ipsa communio unit duas naturas in u-*  
*nam personam.* CXLIII.

Ratio consequentiæ in copulato illustratur regulâ Lu-  
theri superius allegata: *Ipsa communio unit duas naturas in u-*  
*nam personam.*

CXLIV.

Assumptum exemplo suo confirmant Nestorius &  
Paulus Samosatenus, quorum ille proprietatum communi-  
cationem negavit, & eo ipso personæ unitatem solvit, teste  
August. & Hist. Tripart: *Ἦς τὰς φύσεις ἐν τῷ Χριστῷ πάντα πο-*  
*σι πρὸς ἑαυτὰς ἀκοινωνήτας* esse blasphemavit. Et ob hanc *ἁ-*  
*σόλυσιν* uterque ab Ecclesia meritò fuerunt condemnati, &  
inter hæreticos relati.

*Aug. epist. 95, 96. Hist. Trip. lib. ii. cap. 5.*

CXLV.

Secundum argumentum tale est: Si Homini CHRI-  
STO non est communicata Divina majestas & omnipoten-  
tia: non sumus utique IUSTIFICATI SANGUINE  
EIUS, nec reconciliati per mortem ejus, nec sanguis ejus emun-  
dat nos ab omni peccato.

*Sed consequens est Scriptura δις διὰ πεισῶν contrarium, &*  
*proinde ἀτοπὸν ἀτοπώτατον. Ergo.*

CXLVI.

Copulatum constat ex illo Psalmi 49, *Frater non re-*  
*dimendo redimet, NON dabit DEO PLACATIONEM.*  
*Quia preciosa est redemptio animæ suæ, ita ut omittere cogatur in*  
*æternum.* Sed hoc est solius virtutis & omnipotentia: DEI  
infinite.

CXLVII.

Assumptum confirmant loca Scripturæ in copulato al-  
legata ex epist. ad Rom. cap. 5, 9, 20. Et ex 1. Job 1, 7.

CXLVIII.

III. Si, ex Calvinianorum sententia, Homini CHRI-  
STO



STO non est communicata infinita DEI majestas, qua fronte, quave conscientia gloriari possunt, se esse *ἑταίρους* socios Augustanæ Confessionis, in qua expressissimè extat: CHRISTUS ascendit ad cælos, & sedet ad dextram DEI, UT IN ÆTERNUM DOMINETUR OMNIBUS CREATURIS, ET REGNET. Art. 3.

CXLIX.

Argumenta specialia iterum sunt *duplicita*, pro duplici differentia eorum, qui omnipræsentiam Carnis CHRISTI negant. Argumenta Specialia.

CL.

*Quidam* n. eandem negant *ὀλικῶς*, CHRISTUMq; post ascensionem, juxta humanam suam naturam, cælo contineri statuunt, ut Jesuitæ & Calviniani. *Quidam* eandem negant *μερικῶς*, CHRISTUMque humanitate sua in Ecclesia quidem præsentem esse docent, extra Ecclesiæ fines autem abesse, contendunt; ut quidam *Ἀνθρώποι Φίλωνται* (2. Tim. 3, 2) καὶ ἰδιωγῶρες, quos fortassis non injuriâ Semi-Calvinianos appellaveris.

CLI.

*Jesuitis & Calvinianis*, qui omnipræsentiam Carnis CHRISTI *ὀλικῶς* negant, opponimus hunc Syllogismum principalem:

*Si Caro CHRISTI non est ubiq; præsens: sed tantum in cælo: tum sequitur, quod nature non sint unitæ ἀδιασάτως καὶ ἀδιατάτως.*

*Sed consequens est sacris literis contrarium, longèq; absurdissimum. Ergo.*

CLII.

Copulati veritas illustratur hoc *πρῶτον* προσηγορισμῶ:

*Si Caro CHRISTI non est ubiq; præsens cum τῷ λόγῳ, sed in cælo tantum, hæc inde emergunt absurda: 1. Duplicem esse*

D 3

esse



esse λόγον, ἐνωστικόν in caelo; Ἄσπερον extra caelum. 2. Inter λόγον, & carnem ejus intercedere διάστημα locorum. 3. Λόγον non esse ἀμέριστον; sed μεριστικόν.

CLIII.

Assumto fidē faciunt dicta Scripturæ. Iob. 1. **VERBUM** caro factum est. Col. 2. In **CHRISTO** habitat πᾶν ἄνθρωπος Deitatis σαρκικῶς. CLIV.

Ijs verò, qui μερικῶς negant omnipræsentiam Carnis **CHRISTI**, eamque solùm alligant & astringunt ad Ecclesiam, ob oculos sistimus ingens plaustrum absurditatum, quæ ex hac eorum opinione, quasi capita monstruosissima ex altera quadam Hydra Lernea, propullulant.

CLV

1. Enim sequitur, Creaturas extra Ecclesiam λόγῳ esse viciniiores, sua ipsius carne.

CLVI.

2. Sicut Ecclesia nunc angustior, nunc amplior: Ita quoq; præsentiam **HOMINIS CHRISTI** modò coarctari, modò dilatari. CLVII.

3. Sicut Ecclesia locis interrupta: ita quoque præsentiam **Hominis CHRISTI** interruptam esse.

CLVIII.

4. Sicut Ecclesia de loco in locum movetur: ita quoq; præsentiam **Hominis CHRISTI**, de loco in locum subindè esse mobilem. CLIX.

5. Si ad Ecclesiam solùm restringitur præsentia Carnis **CHRISTI**, tum si quis fidelium veniat in ea loca, ubi nulla est Ecclesia, aut non aderit ei **CHRISTUS HOMO**: aut, quia fidelis ille quoque membrum est Ecclesiæ, si ipsum juxta humanitatem habere voluerit præsentem, necesse erit, ut **CHRISTUS** cum ipso exeat, eat, redeat, &c.

CLX.

6. Sequitur & hoc paucis interjectis spatijs **CHRISTUM**



STUM modò esse ἄσπερον, modò ἑσπερον: modò híc iterũ ἄσπερον, illic verò ἑσπερον.

CLXI.

Quæ omnia cum vel cogitatu absurdissima sint, & ter-  
sancto Unionis Mystério contraria: opinionem istam de o-  
mnipresentia Hominis CHRISTI, solam intra Ecclesiam,  
merito explodimus, summa Fidei πληροφορία subscribentes  
Apostolo, qui disertè affirmat: *CHRISTVM ASCEN-  
DISSE* super omnes cælos (ὑπεράνω πάντων ἑρηνῶν) *UT IM-  
PLERET OMNIA.* CLXII.

Sufficiant hæc de Capite quoque quarto: Succedit  
quintum, in quo Sophismata adversariorum diluenda.

CAPUT V.

De λύσει τῶν σοφισμάτων.

CLXIII.

Sophismata τῶν Χριστομάχων sunt *duùm generum.* In  
*quibusdam* dicta Scripturæ à verà & genuinâ sententiâ, quam  
nos ipsidem tuemur, παρερμηνεία violenta deflectunt: In *quis-  
busdam partim* quædam Scripturæ testimonia, *partim* axio-  
mata *Philosophica*, ad suam opinionem falsam inflectunt.

CLXIV.

*Prius* Sophismatum *genus* quod attinet; ijs sanè solen- Prius generis  
Sophisma-  
tum.  
ne est. 1. Loca Scripturæ, quæ de communicatione vel do-  
natione æternæ & increatæ Majestatis Divinæ, disertissimè  
loquuntur, non ad humanam, sed ad *Divinam CHRISTI*  
*naturam* referre.

CLXV.

Sed hæc interpretatio 1. pugnat cum Divinâ naturâ, quæ  
est immutabilis. 2. Destituitur fundamento scripturæ, &  
Antiquitatis. 3. Resipit Arianismum.

Nam



CLXVI.

Nam Athanasius, Leo, Nazianzenus, & alij annota-  
runt, Arianos itidem talia Scripturæ dicta de CHRISTI  
Deitate fuisse interpretatos, idque eo fine, ut ostenderent,  
FILIUM PATRE minorem, ac proinde eidem nequa-  
quam ὁμοσίον vel verè DEUM esse.

CLXVII.

2. Inter ἐξουσίαν & δύναμιν Sophisticam commenti sunt  
disti diunculam: Sed illa in fumos redigitur. I. τῇ ἐξηγησίᾳ τῆς  
ἐξουσίας factâ voce δυνάμεως. Luc. 4, 36. cap. 9, 1.

CLXVIII.

II. Τῇ περιφράσει illius ἐξουσίας Ioh. 17, 2. Eph. 1, 8.

CLXIX.

III. Non modò ἐξουσία: sed quoque δύναμις τῆς θεῶν na-  
turæ humanæ ἀ λόγῳ assumptæ expressè attribuitur

Matth. 26, 64. Luc. 22, 69. Marc. 5, 2. cap. 13, 26.  
14, 52. Act. 10, 38. Ephes. 1, 19. Apoc. 5, 13,

CLXX.

Posterius  
Sophismatū  
genus.

Et i. Argu-  
menta Phi-  
losoph.

Posterius Sophismatum genus, ut jam modò monui-  
mus, partim est Philosophicum, partim Theologicum.

CLXXI.

In Sophismatis, quæ ex axiomaticis Philosophicis con-  
sunt, committunt I. μεταβάσιν eis ἄλλο γένος, contra ipsas ipsi-  
us Philosophi differendi leges & regulas.

1. post. an. 7.

CLXXII.

II. πρῶτον in iisdem ψεῦδος est, quod non distinguunt  
I. Inter communicationem κατ' ἐνωσιν ὑποστατικὴν, vel κατὰ  
συνδύασιν, & inter communicationem κατὰ μέθεξιν, καὶ μετα-  
βάσιν.

CLXXIII.

Quòd itidem non distinguunt inter natura terminis si-  
niri, & extrinsecus loco circumscribi.

Caro



CLXXIV.

Caro enim CHRISTI naturæ suæ terminis *semper manet finita & circumscripta*, etiam in ipsa majestate omnipresentiæ, neque fit unquam, ut reddatur infinita.

CLXXV.

Loco autem non circumscribitur extrinsecus.

CLXXVI.

Neque enim unione personali assumpta est in locum; sed (NB) in λόγον.

CLXXVII.

Et ineffabili ὑπερουψώσῃ, ὑπὲρ πάντων τῶν ἔργων, evedta ad dextram DEI ubique-præsentem, & omnia omnium locorum intervalla longissimè transcendentem.

CLXXVIII.

Ad hæc cum (x) Scriptura apertissimè attestetur: CHRISTUM Hominem adscendisse, ut OMNIA IMPLERET, eique ita planè subjecta esse OMNIA, ut PRÆTER DEUM, NIHIL PRORSUS exceptum sit; quæ misera impietas est, locorum spatia eximere velle?

(x) Ephes. 4, 10. 1. Cor. 15, 27.

CLXXIX.

An verò locus, qualis ab (y) Aristotele definitur, necessarius est corporibus, ita ut sine illo nullibi existere possint? Minimè omnium. Foret enim necessarius vel à priori, vel à posteriori, sed neutrum veritati consentaneum.

(y) l. 4. Phys. cap. 4.

CLXXX.

Non illud: Quia non ingreditur λόγον τῆς ἕσιος, quod tamen necessariò fieri oportebat. Scal. Exerc. 307. sect. 17.

CLXXXI.

Non hoc: Quia nullum corpus sine eo posset existere. Contrarium verò habemus in cælo, quod non esse in loco (Aristotelico) pro confesso accipiunt omnes, quod tamen corpus aliorum corporum regula est. Scal. Exerc. 1. sect. 5.

E

Ergo



CLXXXII.

Ergo multò minùs Corpus CHRISTI, quod, *Tertulliano teste*, omni lege corporum potentius.

CLXXXIII.

3. Non exigua pars πρώτη ψεύδης est, corrupta adversariorum phantasia, qua sibi in cerebellulo suo imaginantur monstruam quandam συμπερέκτασιν, hoc est, extensionem corporis CHRISTI per omnes cœli, terræque angulos, loco omnipræsentiãe majestatis CHRISTI; ad quam obtinendam ipsi nulla opus est diductione in infinitum, cum diductio illa tantùm ibi regnet, ubi dominatur localitas.

CLXXXIV.

Imò nec essentiam Divinam ita licet γεωμετρεῖν, eamque modo locali per cœlum terramq; extendere: vel ipsam includere. Vide Aug. in lib. de pres. ad Dartanum.

Itemq; Lutherus Tom. 3. Ien. pag. 502.

CLXXXV.

III. Quòd ad hoc magnum pietatis mysterium torque-  
tur regula de contradicentibus, merus est incredulitatis hu-  
manæ pretextus. Non enim ex nostro ingenio fas est statu-  
ere, quid pro contradictione in Theologia habendum sit,  
quid secus.

CLXXXVI.

Nec definire potest ac debet humana ratio, quid quan-  
tumque DEUS facere valeat, ne contradictio implicetur:  
Vel quid naturæ ejus contrarium sit & adversum. Aliàs enim  
uno momento omnia Religionis Christianæ mysteria ever-  
temus.

CLXXXVII.

Sed stet potiùs fixum & immotum illud Angeli: APLUD  
DEUM NON EST IMPOSSIBILE OMNE VERBUM.

Luc. 1.

CLXXXVIII.

Argumenta Theologica, quæ ab Antagonistis afferri so-  
lent, pleraque omnia laborant, partim fallacia παρα τὸ πῆκεν  
ἀπλῶς: partim fallacia divisionis, qua Sessio CHRISTI ad  
dextram ab ejus ascensione Sophisticè, divellitur. Ad il-

2. Argumen-  
ta Theolo-  
gica.



CLXXXIX.

Ad illa facilis est responsio, adhibito temperamento distinctionis, inter statum exinanitionis & exaltationis; & inter illa, quæ de CHRISTO ratione θεολογίας, & ratione οικονομίας dicuntur.

CXC.

Hæc solvuntur rectissimè distinctione inter præsentiam CHRISTI terrestrem, φυσικὴν localem & visibilem, & inter præsentiam ejusdem cœlestem, υπερφυσικὴν ἢ ὑποστατικὴν illocalem & invisibilem. Illam ascensione in cœlum CHRISTUS nobis subtraxit; Hac autem ubique gentium creaturis omnibus adest, vi sessionis ad dexteram æterni PATRIS.

CXCI.

Et sic quoque ad finem perduximus, quintum & ultimum hujus διεξόδου caput. In qua quia summoperè aucupati sumus brevitate, non potuimus, ut debuimus & voluimus, omnia prolixè persequi. Boni consulant hæc Veritatis & Pietatis studiosi, sibi que habeant commendatam lectionem:

*Luth. in Confessione Majori & Minore Tom. 3. & 8. Ienensi.*  
*D. Chem. in aureo libro de duabus naturis in CHRISTO.*  
*Apol. τῆς Ἐνωτικῆς, & Ref. Lib. Staffort.*

III. ἐξοδος & Disputationis.

CXCII.

His itaque explicatis καθολικῶς & συνληθῶς concludimus: CHRISTO HOMINI Majestatem Divinam infinitam & increatam verè & realiter communicatam esse, & λόγῳ, propter personalem cum λόγῳ unionem.

CXCIII.

Et hanc insecutam, ad dextram æterni Patris, sessionem.

CXCIV.

Atque hinc HOMO CHRISTUS verè est τῷ θεῷ συνθεῖν, secundum Greg. Theol. referente Damasceno.  
*lib. 3. ορθ. πρ. cap. 17.*

Et



CXC V.

Et κατὰ τὴν συναμφοτέρων adorandus ὑπὸ πύσης κτίσεως,  
dicente & docente eodem.

lib. 4 cap. 2.

CXC VI.

Adest quoque CHRISTUS nobis, in angustijs hæ-  
rentibus ubiq; locorum, secundum eam naturam, secundum  
quam *Frater noster* & in qua per omnia tentatus est, (καθ' ἰ-  
μοιότητα, Gleich wie wir) ut nobis qui tentamur, possit συμ-  
παθεῖν succurrere, & sensu infirmitatum nostrarum affici.

Heb. 2, 17, 18. & 4, 14.

CXC VII.

Ecquid pia mente hac meditattone suavius & ad conso-  
landum efficacius esse potest?

CXC VIII.

Utq; hac consolatione in omnibus vitæ adversitatibus,  
perfruamur efficaciter, TU, quæsumus, O HOMO-  
CHRISTE Frater & Immanuel noster optime, potenter ef-  
ficere, per & propter Majestatem DIVINAM σαμαλινῶς ἔ-  
ως σαμαλινῶς Tibi communicatam.

CXC IX.

Vos verò, vos Χριστομάχοι attendite & expendite de-  
mum Πητιμήματα illud Propheticum:

*Quiescite ab HOMINE, cujus SPI-  
RITUS in naribus ejus est. Quia*

(בְּמִן נַחֲשֵׁב הוּא)

IN QUANTUM REPUTATUS EST ILLE?

CHRISTO-HOMINI jugis Gloria, jugis Honos!

Errata sic corrigito:

th. 23. pro Divina l. Humane.

th. 30. pro quarum l. que.




05 A 709

ULB Halle

3

003 762 548





VD17











In Nomine IESU CHRISTI.

Exercitationum Theologicarum  
DISPUTATIO IV.

*Qua*

Tertium Problema, idq;

DE DIVINA MAIE-  
TATE HOMINI CHRISTO VE-  
rè & realiter communicata.

*Amica προδιαλέξι examinandum proponitur.*

In Academia VVitebergensi

*Auctore & Preside*

IOHANNE FÖRSTERO,  
SS. Th.D. & Prof. Publ.

*Respondentis vicem tenente*

IOHANNE GEORGIO SCIPIO-  
ne, Hammelburgensi Franco,


*Ad 3. Septemb. horis à 6. matutinis loco consueto.*

Coloss. 2.

*ἐν τῷ Χριστῷ καλοικεῖ (NB) πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς  
θεότητος (NB) χωματικῶς.*

W I T E B E R G Æ

typis Cratonianis, per Joh. Gorman., Anno 1608.



5

